



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cupitium, en barathrum, in quod blanditijs suis ac pravis exemplis parentes trahunt filios. Satyricus de his.

Si damnosa senem juvat alea : ludit & hæres.

Bullatus, parvòque eadem movet arma fritillo. Juven. 14.

De matribus Comicus in Heautom. *Matres omnes, filijs in peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria (ita justam severitatem interpretantur) solent esse.* Ita fit, ut filij à patribus allidantur velut ab Athamante ad saxum: à matribus cum Ino, mergantur in profundum. Nam quid ex probrosis parentum moribus aliud consequatur, quàm pessimi mores liberorum; & ex his tristissimus animorum interitus? Siracidis dictum est: c. 41. *De patre impio queruntur filij; quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Tum quia probum patris transit ad posteros; tum quia cum sanguinæ ducuntur scelera, & digna his supplicia. Et ibidem: *Filij abominationum sunt filij peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum.* Nam per impios filios, fit abominabile & infame nomen parentum. Idem accidit ijs, qui cum improbis familiariter versantur, quorum pravos sermones & actus imbibunt; Neque enim solùm ex malis nascuntur mali, sed consuetudine quoque & institutione transmittuntur vitia, discipulorum à magistris, subditorum à præpositis, civium à magistratu, familiarium à consortio; quibus omnibus modis vel ætas, vel mens infirmior in præceptis devolvitur.

## SYMBOLVM XXIV.

Perseus raræ virtutis heros.

4. *Metam.*

Ethicè.

1. Capillorum retia in feminis.
2. Capillorum vanitas.
3. Victor cupiditatum.
4. Concupiscentia triplex.
5. Modus superandi pravas affectiones.
6. Inhospitalitatis pœna.
7. Auspicatum connubium.
8. Acer disputator.

**P** *Hercus* Neptuni filius, rex Corsicæ & Sardiniaë insularum, tres habuit filias, videlicet *Medusam*, *Sthenonem*, & *Euryalen*, quæ Dorcades insulas, in Oceano Æthiopico sitas habitârunt, non procul Hesperidum

ridum hortis. Dictæ sunt *Gorgones*, à trüculentia, quam Græci γοργόνες appellant, vel potiùs à γοργός, terribilis, formidabilis. Latini eas *Lamias* appellant. Anguim spiris impedita habebant capita: dentes aprorum, manus ferreas, alas aureas, pro Zonis viperas inter se connexas; uno utebantur oculò; atque ita fiebat, ut per vices eum capiti insererent, si quid videndum esset; Ex illis duæ erant immortales & invulnerabiles; Sola Medusa morti obnoxia. Hanc quomodo Perseus letho dederit, jam referemus.

Erat is Jovis ex Danaë filius, cui Pallas in mandatis dederat, vindictam ut sumeret de Medusa, femina arrogantissima, quippe quæ ob capillorum elegantiam, ausa esset sibi certamen offerre; ideoque crines illos fuisse à se in turpissimos, maximèque formidabiles angues, conversos; tanto quidem horrore, ut qui eos aspicerent, subito in saxum obrigescerent; Quam calamitatem cum multi subirent commiseratione seductam, velle finem hisce malis imponere. Iret igitur fortissimus juvenis, & pro communi salute discrimen susciperet, se pugnantem adfutam. Perseus obsequitur jussis, tantò promptior, quanto armis instructior; nam Mercurius ei talaria & falcatum ensen, Pluto galeam, Minerva seu Pallas ægidem ære fulgentissimam suppeditavit, qua velut speculo usus, faciem Gorgoneam impunè intueri posset. Hac armatura fretus, confert se ad terribiles sorores; Medusam (nam hæc vulnere patebat) cunctante gradu adoritur à tergo, validissimo ferit ictu caput, & amputat. Advolant statim Stheno & Eucyale, & Perseum insequuntur; verùm cum illum ob galeam Plutonis videre non quirent, ab incepto destiterunt; erat enim hæc virtus illi cassidi (quam *orci galeam* vocant) ut, qui eam gestaret, quoscunque voluisset, aspiceret, ipse verò à nemine conspici posset, qua virtute etiam *Gygis* annulus fuit præditus. Caterùm ex Medusæ capite sanguinante, repenti profiliit equus alatus, nomen ei *Pegasus*; conscendit hunc ocyus Perseus, & per auras sublimis abit, secum defectum verticem asportans. Contigit autem, ut, cum per Africæ solitudines faceret iter, guttæ sanguinis ex eo decedentes, mutarentur in serpentes, quibus deinceps illa pars orbis infestari cœpit. Exinde victor caput, ægydi præfixum, Palladi pro trophæo reddidit, postquam vires ejus non semel priùs fuerat expertus, præsertim cum per Mauritaniam, regionem Africæ extremam, proficisceretur.

Regnabat ibi *Atlas*, vir staturâ giganteâ, Japeti filius, Promethei

& Epimethei frater. Hic, quòd ex oraculo didicisset, imminere sibi perniciem ab uno è Jovis filijs, constituit neminem prorsus recipere hospitio. Perseus Jove progenitus, cùm fortè per Atlantis ditionem, iter haberet, & Atlantem adijisset officij gratiã, excluditur ab ædibus, quamvis humanissimas preces interposuisset. Irritavit ea durities virum fortem, adeò, ut objectò clypeò, quem ferebat, ostenderet Medusæ caput. Vix illud oculos ferijt Atlantis; & ecce, momento gigas mutatur in montem tam excelsum, ut cælum credatur vertice contingere. De quo *Æneid.* 4.

Jámque volans (Mercurius) apicem & latera ardua cernit  
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit,  
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris  
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:  
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento  
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

His ipsis armis confidens Perseus, *Andromedam*, lectissimam virginem, *Cephei* Æthiopum regis & *Cassiope*s filiam, præsentissimo exitio liberavit, quò ipsam matris superbia involverat. Nam cùm hæc *Nereides* (*Nerei* seu *Neptuni* & *Doridis* filias, deas marinas) formã superare gloriaretur, Neptunus rogatus à Nymphis, ut mulieris arrogantiam ulcisceretur, in eam regionem immisit cetum, seu belluam marinam, magnitudinis inusitatæ & formidabile monstrum, quod ex undis emergens agros devastabat, & ædificia funditus demoliebatur, adeò, ut ab illa peste ne munitæ quidem civitates, satis essent tutæ. Tanta calamitate percussus Cepheus, oraculum consuluit, & responsum accepit, non priùs cessaturam calamitatem, uxoris superbiã excitatam, quàm *Andromedam*, unicam filiam, balenæ devorandam exposuisset. Fluctuabant in corde paterno, hinc amor charissimæ filiæ, inde salutis publicæ; prævaluit hæc, & miserabilem regem eò adegit, ut filiam ferreis ligatam vinculis, in pabulum belluæ obijciendam daret. Repentinum in rebus extremis auxilium adfuit Perseus; qui cum Medusæ capite illic prætervectus, & virginis ætatem, formam, innocentiam miseratus, constituit pro ea, cum æquoreo monstro in certamen venire. Jam bellua tam propè adnaverat, ut posset cominus gladio peti; igitur heros impigrè stricto acinace (qui, ut diximus, donum erat Mercurij) vibrat jectum, quanta potest virium contentione, inflictisque repetitò plagis, feram conficit, puellamque catenis solutam, cum ingenti omnium congratulatione parentibus restituit. Hi sollicitudine  
summã

summâ in maximam lætitiâ versâ, mox Perseum salutare generum, conservatorem & columen domus appellare: filiam tanti pretium causamque laboris in uxorem tradere, solennisque nuptias celebrare. Invidit hanc fortunam peregrino homini *Phineus*, Cephei frater; quare convivium geniale rixis & pugnis turbat, sibi que Andromedam vindicaturus, necem intentat Perseo. Qui cum aliquamdiu cum suis, longè numero inferioribus, adversus Phineum & sceleris socios strenuè pugnasset, tandem impar multitudini, recentem in se Phineum, obverso Medusæ capite, in saxum convertit, sponsamque non uno nomine *suam* victor abduxit; quam deinde, post decursa vitæ spatia Minerva inter astra collocavit; Perseum verò, Jupiter iisdem honoribus affecit.

## Ethica.

Variorum hoc figmentum documentorum ferax est.

I. (a) Quòd Medusa insigni pulchritudine conspicua, comæ præfertim splendore ac gratia, multos in amorem sui pellexerit, uti narrat Ovidius:

----- clarissima forma,  
 Multorumque fuit spes invidiosa procorum  
 Illa: nec in tota conspectior ulla capillis  
 Pars fuit.

Unde Palladi se prætulit, quæ poenæ loco crinibus ejus in angues versis, monstrificam & saxificam vim indidit. Quo quid aliud significatur, quàm feminarum vanitatem & retia in capillis expandi? Ex horum conspectu quàm multi in admirationem rapti, & veluti insensiles redditi, miserè sunt implicati & irretiti! Quoties *unico crimine*, quod cœlestis sponfus de casto amore canit 4. Cant. etiam Cupido vulnerat pectora; Et (quod Julius Florus lib. 2. c. 15. de Chartaginensibus feminis prædicat) ex capillis nervos neçtit, unde arcus flectantur, & Cypria tela mittantur. De Nerone, crudelitatis pariter ac libidinis monstro, Xiphilinus memorat, eum à Poppeæ, matronæ Romanæ, oculorum acie, ac formæ venustate ita fauciatum, ut amore insanians, singulos ejus pilos numeraret; & si quis capiti excideret, auro includeret, inque Junonis templo consecraret. Quid stupidius hoc orbis Domino, quem volatica capitis umbra, aureoli crinis orbiculus majestatis suæ oblitum, velut plumbum, aut saxum Meduseum dejecit? Non aliter Ho-

lofer-

(a) Capillorum retia in feminis.

Iofernes ille Martis pullus, mentem suam amisit, cum Juditham vidit, *que discriminavit crinem capitis sui, & captus est in oculis suis.* Judith. c. 10. Quid, quod assentatores comam Berenices, Ptolomæi regis filia à Dijs in astra relatam, ac jam capillorum nexum è stellis compactum apparere, non erubuerint mentiri. Adeò Medusea capita nunquam innocenter aspiciuntur; vel enim dementant gratiâ coloris, vel formidine horroris.

II. (b) Cirri & cincinni Medusæ in angues abierunt. Hoc crinale manet, superbas in sepulchro comas. Monet Hieronym. epist. ad Eutam, de institutione filia: Cave, inquit, ne aures perfores, ne cerussa & purpurisso ora depingas, ne collum auro & margaritis premas: ne caput gemmis oneres: ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus *auspiceris.* Minatur Isais c. 3. ejusmodi crinitis *retiaris.* *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Rectè verò; hoc est turritam superbæ molem, à summo deijcere. Concidunt reliqua ornamenta omnia, si hic decor defluerit. Apulejus hinc censor sit. Si, inquit, cujuslibet eximæ & pulcherrimæ feminae caput capillo spoliaveris, licet illa cælo delapsa, licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo fuccincta, cinnama fragrans, & balsama rorans, *calva processerit,* placere non poterit. Quod & à Poëtis decantatum:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,  
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Experta est Medusa, quid sit capillari fastu intumescere. Nam quale monstrum, & quali dignum speculo, anguineas pro cincinnis spiras in capite, unum in fronte oculum circumferre! Nimirum quò quæque avidius cupit videri ab alijs, hoc seipsam videt minus.

III. (c) Perseus enim verò virum se præbuit, qui Medusam à tergo adortus est, unde nullum oculis periculum. Cum vertice præcidit causam nocendi, & materiam vitij, in virtutis spoliolum convertit. Nec mirum; Pallas ei cum Ægide sapientiam contulit, sine qua nulla victoria de hostibus, præsertim animi, reportatur. Aristoteles, ut Laërtius testatur lib. 5. c. 1. monuit, voluptates contemplandas, non venientes sed abeuntes; antrorsum enim fucata specie blandiuntur, retrorsum poenitentiam ac dolorem relinquunt. Hoc Perseus docuit, Medusam aspectu exitiosam, à tergo aggrediendo,

IV. (d)

(b) Capillorum vanitas. (c) Victor cupiditatum.

IV. (d) Hæc ipsa Gorgonidum fabula non inſcitè applicari po-  
teſt ad triplicem Cupiditatem, de qua Joannes epift. 1. c. 2. nempe  
*Concupiſcentiam carnis*, hoc eſt, appetitum voluptatum tactûs, libidinem  
ſcilicet & gulam. *Concupiſcentiam oculorum*, videlicet *Avaritiam*, quæ  
rerum pretioſarum aſpectu irritatur, & poſſeſſione delectatur. Et *ſu-  
perbiam vita*, hoc eſt, *faſtum*, arrogantiam, inſolentiam, oſtentatio-  
nem, quæ in vita & moribus ſuperborum eminere ſolent.

Ambitioſus Honos, & Opes, & amica Voluptas;

Hæc tria pro trino Numine Mundus habet.

Mali hujus origo à Serpente fluxit, qui primam parentem venena-  
vit: hinc Gorgonum capita ac cingula, anguibus implexa. Per alas  
*aureas* quidni intelligas immodicum excellendi appetitum, ſequè ſupra  
alios efferendi, & quaſi quibusdam alis elibrandi; inflatur enim faſtus,  
& vento plenus in altum enititur. Et quia Ambitio ad honorum gradus  
plerùmque per pecunias eluctatur, opus eſt pennis aureis ad deſtinata  
perveniendi. Jam *manus ferreas* quid exiſtimemus eſſe, quam inordi-  
natam cupiditatem habendi, & per fas ac nefas rapiendi? propterea cor-  
vis ac vulturibus avari comparantur, qui acutiſſimè prædam olfaciunt,  
& aduncis roſtris involant; fœtentia cadavera ſunt ipsis pro pabulo.  
Sic avaris bonus lucri odor è re qualibet, etiam fœdiſſima, ducitur;  
quod ſemel rapacibus apprehenderunt unguibus, non dimittunt ampliùs,  
ut hirudo ſanguinem. *Manus autem ferreas* habet hæc cupido trahen-  
di, quia bellorum ſemen plerùmque eſt avaritia. Hæc duo pronomina  
*Meum* & *Tuum* totum Mundum, ut ait S. Chryſoſtomus, ſcindunt &  
turbant; propter hæc terræ punctum ferro & flamma dividitur Seneca  
dicente. Sed quid ſibi *dentes aprorum* volunt? Cupidinem laſcivæ  
*voluptatis* indicant. Nam ut *apri* terram dentibus fodiunt; & pro de-  
licijs habeant in luto volutari; ita ſectatores turpium libidinum, in cæ-  
no ſpurciſſimæ delectationis, velut ſues in volutabro ſe circumvertunt.  
Toti in paſtum & terram pendent: nunquam non de terra, id eſt, ter-  
renis voluptatibus cogitant, de terra loquuntur, in terra obſtantur.  
Pervetustum, Pierio teſte, hieroglyphicum eſt, fœdam libidinem per  
*porcum* ſignificari. Hinc apud Claudianum Rhadamaenthus Baccho &  
Veneri deditos, in corpora porcina compingit:

At qui deſidiâ ſemper, vinoque gravatur,

Indulgens Veneri voluit torpeſcere laxu:

Hunc ſuis immundæ pingues deſcendit in artus.

(d) Concupiſcentia triplex.

V. (e)

V. (e) Uno quid Gorgones oculo denotant? cæcas esse cupiditates, quippe quæ menti adimant oculos, ut neque malitiam, neque damna videat imminetia. De iisdem fingitur, prodituras uno oculo in fronte usas fuisse, domi verò eundem in cista depositum habuisse. Nimirum homines ad aliena vitia oculati, ad propria & domestica cæci sunt. Plutarch. de curiositate. Quis autem est ille Perseus, qui has Gorgones vincit; nisi qui rationis ductum sequens, repugnat indomitis affectibus, & quasi caput à cervice rescindit, dum primis insultibus generosè resistit, amputatque vires gravius nocendi. Istud etiam addunt Poëtæ, quòd in ægide seu lorica pectorali, ac clypeo, (nam pro utroque accipitur) ex ære fulgentissimo fabricata, Perseus Gorgonidum effigiem, velut in speculo reflexam, securè sit intuitus; quòd indicatur, ad superandas animi perturbationes, plurimùm conferre, si considerato eorum initio, progressu, exitu, per reflexam meditationem expendatur, quantum noceant, quò deducant. Nemo facilè primo intuitu horret vitiorum monstra, quia falsa blandiuntur specie; cum & Medusa quosdam flavo capillo traxerit amatores. Sed cui Palladis ægis est; mens, inquam, melior & sapientiâ prædita, deprehendit in recessu, hoc est, in redeunte per considerationem imagine, colubrosam caput. Talaria indicant celeritate esse opus in conflictu cum vitijs, ne cessatione & morâ roborentur ac invalescant. Per enssem intelligitur, non solis desiderijs & speculationibus hanc pugnam peragi, sed gladio spiritus & pravorum affectuum extirpatione; Per cassidem Plutonium, fugiendas occasiones peccandi, & subducendum esse se periculis labendi. Lucianus ait Minervam clypeum velut facem aut speculum refalgens Perseo prætulisse, & in eo Medusæ imaginem spectandam exhibuisse; postea Perseum sinistra arreptâ illius comâ, & inspecta imagine: dextrâ autem sublatâ harpe caput abscidisse: atque ita prius, quàm sorores expergiscentur, avolasse. Quæ vix quidam eruditus ad strenuum belli Ducem refert, cui opus est celeri expeditione, quod per talaria Mercurij designatur, deinde occultis consilijs, quod Plutonis galeâ, quæ gestantem inaspectabilem reddebat, innuitur: tertio providentiâ & prudentiâ polemicâ, quod per speculum indicatur: quarto viribus & armis, quod acinace Mercuriali significatur.

VI. (f) Inhospitalitas Athlantis meritò in saxeam duritiem conversa est, ut jam esset corpore, qualis antè fuit animo. Ad humanitatem inducere debebat cum nobilitas hospitis, Perseus enim Jovis erat filius;

(e) Cupiditates cæca quomodo superanda. (f) Inhospitalitatis poena.

lius; tum fortitudo, seu res præclare gesta; denique singularis petendæ humanitas. Sed ille quid reponit?

----- Vade procul. Manibusque expellere tentat  
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.

Quid indignius persona gravi & honoratâ, quid dicam, regiâ? quàm manus inferre roganti hospitium, & quidem tali ac tanto? Ira fecit impotentem animi; quod turpe in plebeio, turpissimum in Principe. Sic Nabal ille, tam inops animi, quàm dives pecoris, horridus, impolitus, agrestis, profugos Davidis socios, stipem demissè petentes, & sua beneficia obtendentes, non tantùm non pacatè audivit, sed insuper cum contumelijs rejecit. Quid sequitur? & factus est quasi lapis. 2. Reg. 25.

VII. (g) Inter fortissima ac gloriosissima Persei facinora, istud meritò illustrissimum censetur, quòd Andromedam Virginem, virtute generèque nobilissimam, marinæ belluæ in pabulum objectam, præsentis exitio, funestissimæque morti subtraxerit, & sponsam non molliter procando, sed strenuè agendo sibi conciliârit. Ita veteres heroës generoso pulvere fordidi, non ventilata cæsarie gratiosi; sed ferrata manu tremendi, non digitis auro inclusis mirandi; per vulnera, non oscula Hymenæum initiarunt. Plutarchus apud Rosinum lib. 5. antiquitat. refert, olim nuptiarum comas hastæ cuspide, quæ in occisi hostis corpore hæserat, fuisse discriminatas, ut admonerentur, quia bellicosus jungantur maritis, debere ipsas uti ornatu simplici, & à luxu ac mollitie alieno. Perseus non Pæridis lyrâ, sed Mercurij gladio, Andromedæ suos amores probavit. Sic David, antequam Micholem, Saulis regis filiam matrimonio sibi jungeret, nuptias auspicatus est à centum Philisthæorum strage. 1. Reg. 18. Et Strabone teste, quod Causinus in Symbolis memorat lib. 5. apud Arianos, populos Persis finitimos nemo uxorem ducebat, nisi prius hostis caput ad regem detulisset. Perseus certè & Andromedâ inter astra collocati, documento sunt, quid virtus Agere debeat, & Pati.

VIII. (h) Perseus objecto Gorgonidum capite in Saxum vertit aspicientes. Appositè ad hoc Olaus Magnus lib. 3. c. 16. Vrsinus, ait, eximiæ famæ gladiator, omnem telorum aciem ad hebetudinem solo aspectu redigere solebat. Cadit in acerrimum disputatorem, qui levî negotio omnium argumentorum vim elidat. Ἐγκος ἔχων στόμα θούρον, ἔπος ζήφος, ἀσπίδα φωνῆν. Pro hasta habens os promptum, pro sermone

Q 2

(g) Auspicatum conjugium. (h) Acer disputator. gladium,

gladium, pro clypeo vocem. Quadrat etiam in eum, qui velut Perseus alter, ubi rationes suas disputando protulerit, & quasi in orbem rotaverit, adversarium in attonitum stuporem convertit, & veluti lapidem reddit.

## SYMBOLVM XXV.

### Bellerophon in Pegaso, victor Chimæaræ.

*Hom. lib. 6. Iliad.*

#### Ethicè.

1. Virtus infracta in periculis. 2. Pegasus imago sapientiæ. 3. Aurora Musis amica. 4. Honor litteratum per Pegasus significatur. 5. Per Chimæaram impudicitia. 6. Ejus oppugnatione. 7. Modestia docetur.

**P***egasus*, equum alatum è Medusæ à Perseo interfectæ sanguine procreatum fuisse, paulò supra indicavimus; nomen ei ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte, est inditum, quippe qui dimissus à Perseo, cùm in montem *Heliconem* Musis consecratum evolâset, unguis repulsu terram feriens, fontem produxit, Græcè *Hippocrenem*, hoc est, *equinum* (Perseus Satyricus Poëta *Caballinum* vocat) ab ἵππος equus, & κρήνη fons; ex quo quisquis biberit, ei repenti vena fluit Poëtica, & quodam quasi entusiasmo correptus, optima carmina tam lingua, quàm calamo fundit. Hoc usus est equo Bellerophon, juvenis castissimus *Glauco*, regis *Ephyrae* seu *Corinthi*, filius, qui falsò stupri accusatus, cùm ad interficiendam *Chimæaram* (monstrum horribile, quod capite & pectore *leonem*, ventre *capram* seu *hircum*, cauda *draconem* referebat, ignem ore vomebat) missus fuisset, *Minerva* (secundùm alios *Neptunus*) ejus miserta innocentia, *Pegasus* ei, prius domitum & freno assuetum, tradidit. Hoc vectus equo Bellerophontes, *Chimæaram* occidit; sed postea, ut ingenium est plerisque mortalium, tanta rerum felicitate immodicè elatus, in cœlum quoque ascendere super Pegaso voluit; quam arrogantiam Jupiter, omnis temeritatis gravissimus vindex, deprimendam esse ratus, æstrum illi equo immisit; quare recalcitrans, & in pedes assurgens Bellerophontem excussit, & in terram præcipitem deturbavit. Ipse verò  
jam